



UNIVERSITÉS DE PARIS
BIBLIOTHÈQUE DE LA SORBONNE
13, RUE DE LA SORBONNE - 75257 PARIS CEDEX 05
TEL : 01 40 46 30 27 - FAX : 01 40 46 30 44

Inv.

SIGB

Sibil

SU 790 29663


Cote U 71 in-4

1153802694



H. F. du. 71 (4)
IN FELICEM ORTUM
SERENISSIMI
DUCIS BURGUNDIÆ
ORATIO GRATULATORIA,

*Habita nomine REGII FRANCIÆ COLLEGII,
in Regiis Franciæ Auditoriis, die 20 Januarii
anni 1752, à CAROLO BATTEUX,
Philosophiæ Græcæ & Latinæ Professore ac
Lectore Regio, & ab eodem Gallicè reddita.*



PARISIIS,
Apud THIBOUST, REGIS, nec - non Collegii Regii
Typographum, in Plateâ Cameracensi.

M. DCCLII.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILIP H. RAVENHILL

ORATOR OF THE UNIVERSITY

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO


OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO



IN FELICEM ORTUM
SERENISSIMI
DUCIS BURGUNDIÆ.
ORATIO GRATULATORIA.



OSTQUAM confedit paulum lætitia
incredibilis quâ Gallia universa elata est
augustissimæ Sobolis proventu , & à
gaudio nostro tanto , tamdiu expetito ,
repentè oblato , spiritum recepimus ; licet
jam securitatis placidissimæ sensu delectari , & , positis
tripudiis , lætitiâ ipsam sedatiori mente relegere.

Ne tamen existimetis sic à nobis orationem institui ,
ut ponderemus momenta rerum quanta ex Puero regio
pendeant ; ut dicamus assertam pacem civium , spem

egregiam paratam nepotum, minas repressas inimicorum; ostendamus Europam bellis cruentissimis liberatam, in forte Borbonicæ familiæ tutam jam ac securam. Quis enim, ô Deus immortalis! non omnia intelligat in isto tuo munere, & vitæ solatia, & pacis bonæ præmia, esse humano generi condonata? Puerum istum unum, arcem regni, pignus pacis, sacramentum fœderum, terrorem hostium, splendidissimum exortum esse tranquillitatis publicæ augurium?

Rem igitur paulò altiùs reducam, fontes ipsos amoris vestigans, unde plenitudo beatissimi gaudii exundavit; verasque hujus causas indicabo, quæ nullibi positæ sunt præterquàm in Gallicæ Gentis indole in reges suos propensissimâ, tum in ipsâ Stirpis regiæ naturâ, quæ item Genti convenientissima est. Quo enim tota præsentis gaudii ratio recidit maturè expensa, nisi novo illo incremento Sobolis regiæ spem adesse, quàm potest, certissimam, continuandi feliciter regni à Stirpe augustissimâ Borbonidum; eandem fortunam fore nepotum nostrorum quæ nostra est, & patrum etiam nostrorum fuit?

Et quoniam momento duplici spes illa pulcherrima innititur; uno, quod fundamenta regni eadem sint Gallis permanfura; altero, quod Gens Borbonica firmata novis subsidiis regno non sit defutura; idcirco suasit animus ut laudaremus studium perpetuum Gentis Gallicæ in co-

lenda piè ac constanter monarchiâ ; deinde ingenium bonum Stirpis Borbonicæ in eâdem tractandâ comiter ac gloriosè.

Cui quidem tractando gravissimo argumento, fiduciam suppeditabit, cum gaudium ipsum, cujus est efferre animos, tum conspectus ille jucundissimus Viri excellentis *, qui cùm sit honorum Patruï Illustrissimi particeps factus, studiorum item ejus sit ac virtutum imitator & comes, Collegium hoc doctissimorum Magistrorum, Regum opus, Literarum domicilium ornabit patrocínio suo, Regis gloriæ serviens, quam colit, literis gratificans, quas amat, & ingenio etiam suo humanissimo indulgens. Quem medium nostri alterum testem laborum, hortatorem alterum studiorum nostrorum amplectimur affectu individuo voluntatis, in cujus benevolentia ac fide conquiescimus ; & verò speramus id omne humanitate sua suppleturum, quod facultatis Oratori defuerit.

Quod idem ut faciatis non rogo ego vos AUDITORES spectatissimi : sed Puellus ipse monebit regius, blandum argumentum, cui arridenti è cunis arridere etiam vos necesse est, & sic orationi nostræ consentire.

* M. le Marquis de Paulmy, Secrétaire d'Etat, à qui Sa Majesté a accordé la survivance de M. le Comte d'Argenson au Département de la Guerre.





P A R S P R I M A.

QUOD exemplum est in omni arte & opere naturæ expressum mortalibus, ut ex aliquo uno procedant initia rerum omnium, eodemque unde perfecta sunt referantur; id Francorum Natio à primæva origine gentis arripuit, AUDITORES, & arreptum semel per omnes ætates indolis constantiâ retinuit.

Quæ enim significatio ulla clarior aut evidentior naturæ monarchiam ubique demonstrantis, cùm appareat nec plus uno imperatore exercitus, aut parente familias, aut rectore navigia gubernari? Cùm nihil nec prudentia sapientum melius invenerit, nec pulchrius finxerit poëtarum licentia, in adornanda republica cœlesti, quàm si dicerent singula ad unum summum numen, auctorem, motorem, moderatorem rerum omnium pertinere; indeque deducta per gradus convenientes naturæ suæ, ad fines proprios ordinari? Quo admonitu tam manifestæ vocis nulla Gens tam ignara fuit, tam barbara quæ non intelligeret arbitrio unius Respublicas florentissimas haberi & tutissimas, consensione in unum populos vigere, dissidiis capitum in perniciem ruere.

Ut igitur eundem morem imperii imitaretur Francorum

Gens , amplexata est hominem unum , egregium illum , & ex omni numero suo excellentem , quem in altissimo gradu potestatis collocatum intueretur , latorem legum suarum , judicem controversiarum , injuriarum ultorem ; cujus principatu majestatis corpus unum Gentis coalesceret , & capitis nutu , membra quæque ad fungenda officia vocarentur.

Verùm quod ipsi commune fuit cum cæteris gentibus , ut primo instinctu & quasi impetu naturæ regnum coleret , id tanquam gentile sibi ac proprium usurpavit , quod apprimè cum moribus suis & ingenio consentiret.

Quod ingenium , AUDITORES , hîc ut recognoscamus ipsi verè & semota omni adulatione , fibras jecoris Gallici perscrutemur , arteriæque pulsum vibrantem bonâ fide interpretemur.

Artes illas sequatur Gallus politices argutæ , quæ jura omnia exigit strictis legibus , diversos ordines civium librat , castigat ponderibus oppositis , tristisque & morosa in studiis factionum consenescit ?

Licentiam adfectet popularis potentia , quæ , violento æstu abrepta multitudinis insanæ , jactatur miserè , semper in præcipiti pendens , bellumque exercet media pace perpetuum intestinum ?

Ædificet more Græciæ versipellis Respublicas mille rotis ac nervis machinarum implexas , quæ stuporem quidem injiciant intuentibus procul ; at quærentibus verum usum

rei, ipsâ repugnantia naturæ rumpuntur conatu in medio, & strage editâ, defectum virium nudant.

Romanas tandem virtutes æmuletur, quas jactant? quæ gens, ut verbis ipsorum confessis utar, atrox, arrogans, immoderatae libertatis, infinitæ licentiæ, exercita est in omni genere libramenti politici: semper furens, in sese & sua sæviens; donec lassata seditionibus suis, vulneribus confecta, bellua multorum capitum in vinculis monarchiæ respiravit.

Non sic nota Gentis Gallicæ natura, ut tantas artes neçtere amet, aut tragœdias excitare. Alacris, erecta, libera, gloriæ militaris præter omnes appetens & civilis otii, posset non averfari obscuras illorum technas, & domesticas horum infinitasque discordias?

Illi, illi hominum generi necesse fuit ut civem unum in fastigio regali constitueret ducem, rectorem, judicem Gentis: Ducem, qui è folio, tanquam è vigilia principali, Rempublicam universam contempleretur, specularetur omni horâ, si quæ intrâ, extrâ, fortè intumescerent procellæ, aut manu comprimendæ, aut arte politices avertendæ: qui, si qua belli necessitas ingrueret Genti, paratus imperator impetum audaciæ regeret, testis idoneus virtutem singularem notaret, remunerator magnificus meritâ laude fortitudinem coronaret: Rectorem, qui, partâ victoriâ, composito bello, pacem tueretur & civiles delicias domi, regno utens, non tyrannico illo, & superbo

quod dominorum est , & deformi alitur obsequio servorum ; sed humano , sed liberali , quo virtus animorum , gradus honorum , præmia virtutum , unius majestate ac muneribus æstimantur , ornantur : Judicem , qui castigaret mores , lites civium dirimeret , odia componeret , non more legum , rei surdæ & inexorabilis quæ nec bene-meritis capitur , nec movetur pietate : sed ut hominem decet , cui prima lex regni bonitas , cui misericordia viscerum humanorum , penes quem memoria est expensa meritorum , qui probos potest cognoscere , imprudentibus ignoscere. Verbo dicam , Gallica Gens , liberalis & libera regem suum speravere , ut imperatorem bello fortissimum , sic moderatorem pacis æquissimum fore sibi , cujus regia commune esset civium refugium , juris æqui sanctuarium , honorum omnium ac bonorum principium : cujus populi , ceu ingens familia per loca sua dispersa , eodem veluti consanguinitatis jure ac nomine conjungerentur : cujus denique dulcissimus fructus majestatis in officio , diligentia , benevolentia exercitata , ipsa Gentis felicitate contineretur.

Hanc spem & opinionem monarchiæ cum Gens altè imbibisset , nec eam unquam longo usu experientia redarguisset , non fatis id illi visum , quòd majestatem regni gestaret præcordiis suis , medullisve intimis naturæ recepisset , nisi eam insuper sancta Religio fœderibus suis ac legibus defenderet.

Ergò , quoniam verum est omnem potestatem hominum à summo rerum Dominatore derivari, Reges fungi pro eo vicaria majestate in terris , nec posse malitiam ullam, aut insolentiam humanam aspernari vim potestatis cum Deo communicatæ ; Regem suum voluere, præsentem & applaudente cœtu universæ Gentis, posita in aris sceptrâ capeßere; indeque ductis auspiciis regni, esse Majestatem ejus sanctam, augustam, plenam Deo, omni jure humano & divino constitutam, omni vinculo populorum naturali & legitimo connexam; ut nulla nec pericula temporum , nec fatorum momenta adamantinum nodum possent exsolvere ; sed idem ubique, & usque, in gente perseveraret tenor amoris , obsequii , studii, parati & prompti fortunas omnes ac vitam regi suo impendere.


Id enim verò vos exprobrate Gallici nominis osores , quibus, quia nihil gravius suppetit, sæpe injecta est in nos criminatio levitatis : id exprobrate, in hoc triumphate , si quondam Gallica Gens immemor regni, visa est novas res spectare & sacro-sancta fulcra throni impellere ? Adite ad ipsa ejus incunabula , ad illas ætates, cùm Franci è Saliis nemoribus exorti, Romanum territabant Imperium ; & longam seriem sæculorum persecuti, tempora notate , si regnum avitum vertere molita est , & jura nova licentiæ popularis invehere. Notate momenta illa magna rerum Gallicarum , cum desidiâ regum habenas

nas non sustinente, obscurata Majestas, solii, vis imperii Præfectis palatii mancipata. Scilicet cupidè tunc arripuit oblatam ansam levitatis: facilè ordinem rectum regii sanguinis deflexit, alienos homines applicuit cervicibus suis: Undè igitur tantæ cunctationes Carolorum, Capetiorum rebus suis diffidentium: undè tot artes ambitionis meticulosæ: tot circumductiones animorum, ne Populi desertores regni Reges vellent retinere, ne nollent Sceptra abjecta inutilis potestatis ad homines strenuos, de Republicâ optimè meritos, affines prosapiæ Regiæ devenire, fatis ita suadentibus, cogen- tibus, ut ad Borbonides, decus summum Liliorum, sibi viam facerent.

Sic, sic, perstare oportuit vim Monarchiæ in animis populorum fundatæ, ac constitutæ, nec bis septem sæculis ruentibus, immutatâ facie Orbis universi, labefactari, quam natura, verissima utilitatis interpres, demonstraverat, confirmabat indoles Gentis, belli externi amans, internæ quietis amantior, Religio ipsa omine sancto suo, ac pio numine consecrabat.

Nec tamen ego non fatear in sua illa constantia Gentem Gallicam, non mediocriter adjutam fuisse ingenio ipso Regum suorum, quos meliores sortita est, quàm solet in tanta naturæ humanæ infirmitate; passâ nunquam exempla superbiæ, quibus evenit ut regnum ejiceretur à pluribus populis.

Sed quoniam hæc pars altera est lætitiæ præsentis Burgundo Principe nato , ut Monarchiæ Gallicæ , sic virtutum Borboniarum hærede , alteri est etiam Orationis parti tribuenda : quæ sibi, AUDITORES , maximè adpromittit aures vestras , æquitati vestræ fidens , & dignitati argumenti.





P A R S S E C U N D A.

QUÆ duæ virtutes plurimùm valent ad conciliandos Gallorum animos , comitas popularis & fortitudo bellica , illas congenitas inesse sanguini Borbonidum , & antiquarum Historiarum memoria , & recentiori Annalium fide comprobatum est.

Repetamus indè ad sacras origines Stirpis in toto genere humano antiquissimæ & nobilissimæ? Ludovicos , Carolos , Franciscos , Philippos , Henricos revocemus , inclita Regum nomina , pronos heroas ad bonitatem , ad virtutem erectos bellatores? Sunt plenæ literæ meritum civilium , plenæ regiones monumentis armorum , plenæ recordationes exemplorum illustrissimorum. Quæ exempla quoniam vobis cognitissima sunt, AUDITORES; & LUDOVICUS noster egregius hæres gentis exercet magnificè , quid causæ est cur per tot errores temporum discurrat oratio quærens quod ob oculos nostros expositum est , & Rex unus optimus ac fortissimus in sese recolligit.

Eum enim intuemini seu agat domi inter suos , ubi se prodit maximè comitas familiaris , seu in aula , inter optimates , seu turba in media inter populos..... Jam

orationis cursum prævertitis ; & sexcenta exempla recordamini LUDOVICI nostri, quibus cognomentum illud ipsi tractum est ab amore populorum suavissimum. Non eum vidistis, posito diademate, conversantem familiariter cum suis, eos benignè alloquentem, tractantem amicè, regio animo eatenus duntaxat inter patrias blanditias eminente, ut nihil admodum caritati decederet liberrimæ, accederet etiam dignitas pietati ? Non, cum gravior causa incidit amor patrio, seu lege pactâ nuptiarum regina Puella ab amplexu tenerrimo semovenda, seu mox gratiâ fœderum reddita est amoribus pauculorum mensium, non vidimus humanissima illa viscera commoveri ? Non, illis oculis, quorum acie intuentium arces cecidere Belgarum, victoria retenta in campis Fontenæis ne pennas celeres quateret, non iis oculis nubem vidimus pii doloris offundi, lacrimas vix tenerrimas abstineri ? Et hac recenti lætitiâ, AUDITORES, edito in lucem Burgundo, quis fando paterni animi sensus repræsentet ? cum vires corporis gaudio exuperante, indoles lenissima in triumpho suo penè deficeret, vitam, salutem Patriæ in Puero, Pater & Patriæ & Pueri susciperet, gestaret amanter, populis suis lætissimis traderet.

Nihil est tam popolare quàm bonitas : Nulla de tot virtutibus Deo immortalis attributis, carior mortalibus misericordia est. Qua virtute si reges suos imbutos viderint populi, tum illas avidè suscipiunt scintillas expressas

divinitatis : tum illos amores miros pietatis sentiunt ,
 illam dulcissimam fiduciam filiorum. Ecquæ vis major
 vinculi ? Quæ religio animorum sanctior ? quàm si
 quisque civis , probè explorato rege suo , dicat secum :
 bonus , perbonus Rex noster est LUDOVICUS : tunc , tunc
 novo fœdere obligatur fides regni , novo sacramento
 condonatur , consecratur bonorum , animorum , corporum
 potestas & possessio.

Quando beneficam manum volentes retraxere Borbo-
 nii ab hominibus demerendis ? Quando instituta bona
 removère quæ venirent in usum civium ? Quando Præ-
 fectis rerum , aut bellorum Ducibus malignæ fortis in-
 vidia fraudi fuit ? Quando non parata venia levitati aut
 imprudentiæ ? Vel , si quid pœnarum necessitate Reipu-
 blicæ repetendum fuit , quando non supplicii paterni
 morem secuti sunt ? Ut id modò Borboniis regium esse
 videatur ac magnificum , benemereri de hominum ge-
 nere ; malintque , si quid peccandum humanitùs fuerit ,
 indulgere ultrà modum , quàm severiore ingenio su-
 perbire.

Quanquam quid moror in re adeo aperta omnibus ,
 adeo nemini non confessa , ut si quondam , aut aliqua
 difficultate rerum , aut temporum , aut vitiis hominum
 minùs commodè populis fuerit usus vitæ , attamen illi
 nusquam , vel cùm habent ægerrimè , non omni culpâ
 noxæ eximant Regem suum , quem norunt humanissi-

num esse, & populorum suorum amantissimum, similem Numinum quorum è cœlo genitivi rores & calores benigni ad terras destinantur; interdum tamen influxu transverso aëris maligni fraudantur effectu suo bono, per auras inanes dissipati?

Isti morum comitati, quæ laus primaria est regum, & maximè propria sanguinis Borbonici, alia conjuncta virtus accedit magnanimitas; sic naturâ disponente animos, ut qui optimi esse cognoscuntur viri, iidem sint & fortissimi: quod in Achille suo poëtarum Princeps feliciter designavit, & verò prius in vi Herculeâ sapiens antiquitas expresserat.

Nolite arbitrari, AUDITORES, hîc oratione illustrandam venire Regum nostrorum fortitudinem, quæ verbis non indiget, clara olim facinoribus suis, ac trophæis orbi terrarum exposita; ex eo præsertim tempore, quo avitæ reddita gloriæ Borbonica propago liliis reffloruit.

Quis enim campus inimico Gallorum sanguine non factus pinguior! Quæ arces, rupeve non memores Borbonidum? Quæ flumina non sensere vim & virtutem Generis, similem semper sui, omni aliâ maiorem? Meminit Europa, æternùmque meminerit Henrici, & Ludovicorum, fortissimorum regum, quorum gloria bellica, terror Gallici nominis cum finibus orbis terrarum adæquatus est. Meminit camporum Tornacensium, cùm Parens, & Gnatus, alter alteri spectaculum ingens facti, hic, more

heroum gentilium fulminaret, ille fulminantem spectaret indeflexo vultu, aquila non degener.

At quantam vim exerat indoles hæc altissima Borbonidum in Gallorum animos, exemplo uno recognoscetis, verissimo illo, nec cuiquam hominum qui Gallos paulum noverit, non manifesto.

Postquam perlato rumore belli, nobilitas omnis Gallica in studiis pacis occupata, ad tubæ sonitum conversa est, & apparatu ipso armorum strepituque Martis, bellicos spiritus concepit, tum gestire animis, trepidare, fremere spe avidâ certaminum, nihil videre in bellis cruentis, nihil sperare præterquam argumentum paratum virtutis & segetem oblatam gloriæ. At, si dum prope adest iudicium pugnæ, & micat in procinctu pavor anceps animi, Rex, ipse rex supervenit rei gerendæ auctor & ductor; quo gaudio, norunt hostes, quâ alacritate miles arripit omen victoriæ! Ut suave erit, Rege intuentem audaciam, per media mortis pericula inferri, proturbare cuneos, valla perrumpere, deformata ora cruore, cæde, pulvere Regi offerre, deciso negotio plausus infinitos victori nuncupare! Ut non triste erit, Rege admirante virtutem, vitam reddere Patriæ, & funere in ipso triumphum animi dulcissimum edere?

Vos, vos illius virtutis & Gallicæ indolis exempla Regi præstabitis, Juvenes egregii, quos armatæ Minervæ educandos tradit nova Regis beneficentia. Ædes, super-

bas ædes obstupefcit Sequana , dum præterlapfus tot miracula urbis reginæ , & opes littorum fuorum magnificas , oculos finiftrorfum detorquet , confilia ingentia æquiparans duorum Borbonidum. At quàm adverfa invicem fpectacula advertunt animos ? Hinc , capita cana , & cicatrices obductæ vulnerum , artus corporum truncati , reliquæ bellorum fpirantes : inde , lanugo prima florentis juventæ , gratia puerorum proterva , fanguine fervido emicans alacritas. Hinc ftant terrâ defixæ haftæ , errant paffim feniles umbræ militum , quos imago armorum folatur vana , & laborum dulcis recordatio ; collapfa flamma in cineres : inde ardor novus ignis prorumpit , fervet opus trepidantium juvenum in omni ludo Martis & bellorum fpecimine , animis jam haurientibus folidam laudem , & vera rerum pericula. Macti efte virtute , furculi generofi virorum fortium ! Patriæ nata ac devota pectora ! metuant hofteſ Gallici nominis vim veſtram non degenerem naturæ ; metuant vim adjectam diſciplinæ & cultus Martii ; circumdatoque hoc terrore novo finibus noſtris , & majeſtas Imperii hujus augeatur apud hoſteſ , & apud cives pacis bonæ ſecuritas.

Promptum eſſet & expeditum alia mille exempla in tam claro argumento proponere , ſed quæ vel omnia hiſce monumentis abſolvuntur , quibus nulla ubique terrarum illuſtriora ſunt bellicæ indolis regum & ſtudii militaris.

Has artes veras regni , & verè regias , cùm olim & semper , præ omnibus Gens Borbonidum usurpaverit ipsa indole naturæ , cùm illis artibus adjecerit moderationem perpetuæ bonitatis , nec usquam non ductu amoris regnare maluerit quàm apparatu terroris vincere , mirum est si ex eo sanguine optent sibi populi dominatores , civiles domi , bello fortissimos ? Mirum si Cantaber ferox virium spiritus ingentes summisit , eosque recepit volens ? si Aufonius , neglectis artibus avitæ politices , in eorum monarchias concessit ? Polonus ex eadem prosapia sæpe reges expetivit ? Mirum , si Heroe nato ex illâ Semideûm stirpe , non gaudia Gallorum regionibus suis continentur , sed ad fines orbis terrarum referuntur ac resonant ? si Puerum non Regi solùm , non solùm Regno , sed Europæ etiam universæ natum , donatum populi amplectuntur tanquam obsidem pacis , salutis suæ , in quo fœdera omnia gentium firmata sunt & bella conssepulta.

Ergo vive nunc PUER SANCTISSIME ; vive tibi , vive parenti & patriæ , & generi humano , cujus cunis tantæ fortunæ populorum conservantur. Adsint tibi Virtutes fidæ & Genii propitii , custodes infantia , pueritiæ rectores , vitæ individui comites. Sed jam adsunt tibi omnes , præstò indoli generosæ suscipiendæ.

Ut primùm certa , videndo , signabis rerum vestigia , en oculos tuos advertet in sese DELPHINA parens dulcissima , sidus Galliæ candidissimum ; ei , obtutu defixo , arri-

debis , hoc tantum : & rationem omnem lepôrum ac virtutum vero exemplo comprehensam tenebis : quo stimulo indoles excitata naturæ surget properè ad fata ingentia.

Nec mora , devolabis in sinum augustissimæ Mariæ , quam verenda majestate Reginam , gratissimâ comitate matrem alteram senties : cujus gremio insidens , dulce pondus ! eandem pietatis , fidei , humanitatis speciem adamabis animis tuis inculpendam penitus , iterum iterumque inter lusus & amplexus regiarum Virginum recolendam.

Cùm sensu audiendi è fasciis evoluta , captabis sonos severiores rationis , pendeabis ab ore Patris amantissimi , verba ejus meditaberis in sinu tuo plenissima prudentiæ , decôris , dignitatis , eundem morem virtutum , cùm adoleveris , servaturus , eandem admirationem doctorum laturus , eundem amorem populorum.

Sed cùm primoribus musarum elementis initiatus , in expressa chartis rerum monumenta inhiabis , tum , tum annales LUDOVICI nostri & clara regum facinora perolves , edocendus artes regni magnificas ; semina indita naturæ florebut exemplis , spes magna & pulcherrima nepotum referabitur.

At tu , Deus immortalis , auctor & custos Gallici Imperii à Clodovæo in hisce regionibus , auspiciis fidei Christianæ constituti , Cujus nutu ac numine Gallica res defensa , aucta , in eodem statu regni per tot annos conservata est ; tuebere Reges Borbonicos , fatos à religiosissimis

Regibus, à divo LUDOVICO consecratos, quibus Christianissimorum regum nuncupatio singularis tributa est, & constanti pietatis honore confirmata : tuebere LUDOVICUM nostrum ex illâ Gente sacratissimâ Christianissimum Regem, fidei tuæ sanctæ tutorem acerrimum, fortissimum vindicem ; DELPHINUM Serenissimum, spem alteram Gentis pretiosissimam, & tertiam illam tenerriam Burgundionis Puelli, cujus thure natalium fumant aræ omnes incensæ per orbem Gallicum. Erit, erit ille Avo dignus & Parente ; ab eis præsentibus perdiscet bonitate, moderatione, religione, æquitate, regna florere ac conservari ; & cum perfuncti fuerint quàm longissima statione mortali, tum eum successorem illis destinabis serissimum, qui similes virtutes Generis, avitumque imperium, eodem tenore gloriæ, ad perpetuas ætates propagabit.

D I X I.

APPROBATION DU CENSEUR ROYAL.

J'AI lû par ordre de Monseigneur le Chancelier, un Manuscrit intitulé ; *In Felicem Ortum Serenissimi Ducis Burgundiæ Oratio gratulatoria*, & je n'y ai rien trouvé qui doive en empêcher l'impression. A Paris ce 10 Février 1752.

JAULT.



